

Bibliothèque numérique

medic@

**Fagon, Guy Crescent - candidat / Le
Menestrel, Jacques - président. - An
Arthritidi & inveterato Rheumatismo
curandis solo lacte vesci convenit ?**

1663.

Paris

Cote : ms 2322 n°73



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax01x0073](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax01x0073)

QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS

MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XV. NOVEMBRIS.

M. IACOBO LE MENESTREL.

DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

An Arthritidi & inveterato Rheumatismo curandis solo lacte vesci convenit?

1.

QUÆ suæ impensius studet incolumitati natura suum & ipsa molitur exitium cum in assidui effluvi locum sobolescit mox-recens partibus retocillandis succus, cujus patitur collectionem donec prematur onere aut irriteretur morsu. Gliscit in dies intestina labes quæ multis affectibus referat viam; ii sopiti mersique visceribus altis suo tempore erumpunt quâvis de causâ fuscitati: sic in partes principes fit effrenata vis & incurfio humoris per *ναύσιον* extra conceptacula refusi: hinc morborum cohors egregiè proficit, accenditur febrilis calor, incandescit jecur, pectoris angustia fatigat anhelitum, & loci in quò coërcetur pertæsus humor facto in pulmones impetu animam propriis jugulat in laribus. Quisquis defunctus Scyllâ cave ne in Charybdim naufragus: equidem cum ab iis te diu salvum & incolumem servavit nobilium viscerum robur & integritas, aliis & materiam oggeret; adeò humorum cumulatur proventus, quos longè latèque à se eliminat metu repentini casus. Exonerat sese in minùs-robustas partes, in debiliores deinde, ab iis in omnium maximè-ignavas, à quibus in fortiores revocare gradum hoc opus hic labor est. Ex alvinâ provinciâ expirationes æstuantibus præcordiis sursum efferuntur, quæ remisso cerebri calore glomerantur in humorem; hic acrimoniam trahit & salem seu à bilis seri-ve miscellâ, seu ab adustione, seu à putredine ob longiorem stationem comparatâ: in subjectas iterum partes tanquam in labrum lacunam-ve relabitur & mox instar Euripi reciprocatur, ita ut quasi per circulum mala revolvantur. Ex illis fontibus fluit in articulos dirum morbi genus, qui multiplicem à partibus affectis ducit appellationem, vel ex alto in corporis habitum ablegata fera colluvies vagas movet dolorum tempestates.

II.

II.
MAGNA Arthritidem inter & Rheumatismum consensio, conspiratio. Hic saepe illius prodromus, lubricus hujus in illam transitus, com-

munis utriusque materia, idem doloris aculeus, quid-ni & eadem pars affecta? Distinguntur tamen, hic circuitu caret, illa certis intervallis quasi ex condito recurrit. Nec quivis articulorum dolor, ille solus ex periodico acris falsaque humoris in articulos impetu audit Arthritis. Lancinantur ossium membranae, divelluntur partes in quibus sensus est exquisitus: adeo doloris impatientia calorem acuit ut jurè dicas articulorum febrem. In Rheumatismo totum riget doletque corpus ac si foret Arthritis universalis. In carnosum panniculum, in musculos, in communem eorum tunicam vltro citroque pervolat cum desultorio dolore errabundus humor quasi lasciviat more animalium quæ libidinis cestro percita stare loco nesciunt, horsum vorsum variè impellitur, nec ullibi locorum desidet ita ut non pauciora sint supplicia quàm membra. An tantæ calamitatis causa melancholici & pituitosi humoris congeries? Vt ut sit, ipse est sanguis si putredinis maleficio faceffat in bilem vel ferescat caloris colliquantis ope. Hæc biliosa serosa-ve *πλεονεξία* non solum uberiore sale & tartaro quò naturam proritat acerrima, sed etiam substantiâ tenuissimâ, & temperamento vel corruptione calidissima, spontaneo appetitu alias-ve partes vicissim affectat nova semper quærens hospitia. Nobilium viscerum vegeta vis expultrix degeneres ac noxios humores tanquam adulterinam sobolem respuit in vasa primùm majora, dehinc in minora, in minima tandem, è quibus in habitum corporis eructantur. Eadem & in ossium intimis malus ichor, eò dum ad familiaris succi deportationem natura utitur, abutitur & eadem: quod in alimento spissum & dulce, abit in ossium substantiam; serum inutile sale improbo aspersum juxta periostia sistitur: nec foras transcolare potest nativa spermaticæ partis imbecillitas acerrimo cruciata dolore & multâ annorum serie spiritibus & calore destituta (est enim Arthritis frequentior senilis ætatis ægritudo.) Fit redux morbi periodus ab indole recipientium partium & firmatâ mittentium intemperie, quæ perenni & continuatâ generatione materiem renovat. Succrescentibus tandem tophis articuli suis exiliunt è sedibus cum motus impotentia. Vis salutes adhibere manus, principiis obsta; qui per longas invaluit moras cedit nunc in medentis opprobrium morbus, cum ante-actis temporibus unus lactis usus longè latèque profligasset.

III.

EX infinitâ alimentorum supellectile nullum naturæ convenientius lacte. Vix emissa in luminis auras tenella soboles insuetum sugendi laborem suavissimo mulcet nectare: magna ejus cum molli corpore familiaritas in substantiâ & temperamento: adolescentium nativum calorem explicat, humentique suo tepore promovet augmentum: frænât intemperias caloris qui constantem ætatem adurit: affert moras instanti senectæ indomitæque mortis, & exsucca recreat senum corpora quos in multa sæcula vindicat à morborum tyrannide. *Εὐκρατον* est, *δ' πεπλον*, *δ' αλλόιωτον*, *δ' χυμον*, sapore dulce, odore gratum, eligendum. Nec agrestes tantum saturat, sed & elegantium

mensas jucundis & numerosis dapibus exornat, ut nihil ad gratiam & condimentum desideret vel mollissimus Heliogabalus. Eô uti est animus, an medicinæ cibî-ve loco, an neglectis aliis eduliis vnô solô vescaris sollicitus esto? Equidem ex hoc vel illo animali emulgetur ad varios usus penes institutum tuum. Asininum tenuissimum; crassissimum vaccinum; distat ab extremis caprinum: tenuissimum multô sero dilutum vix ac ne vix quidem nutrit sed alvum subducit & refrigerat. Πολύτροπον crassissimum, nec enim respondet serum multo butyro & caseo: illud ἀνόδυνον, παρηγεῖκον, humectat, lenit, nutrit, erodentibus medetur venenis; hic leviter siccans & refrigerans ἰσχυρὸν alimentum suppeditat. Vni nutritioni si studes impensius veniat in usum vaccinum relicto caprino, quô aliàs ultra centum annos vitam produxerat rusticus senex. Nec te rufus niger-ve moveat color modò benè habeat vacca & ridentibus herbis pasta copiosum & suave lac ministret. Illud crudum, recens-mulctum & repens adhuc singulis diebus propinabitur ad tres aut quatuor circiter cotylas; nec enim exactè definiri potest unicuique homini ciborum copia. Fac si lubet pauco saccharo aut melle condiatur ne concresecat, & sub umbilicum diei maceretur in eô mica panis. sic vivens vives felix Nestoris annos.

IV.

INIMICA homini dissimilium ciborum multitudo, sub eorum pondere gemit obrutus calor vel languet varietate distractus. Singula in ventriculum ingesta nec æquis viribus attingit, itaut cruda putrescentia odorem importunum ori repræsentent, vel cum coctis abeant in sanguinem mox cessurum in totius corporis perniciem. Quisquis articulari tormento se eximere voluerit non hauriat veluti gurgēs quidquid ciborum occurrit, uni sese præceteris addicat lacti ne trahat situm aliorum alimentorum consortio, & propter ἀλλοίωσιν atque amicum dulcorem à visceribus rapiatur & rapiat unâ cibos μεμολυσμένους in sanguinis officinam. Non eget dentium operâ qui ventriculum subeat, nullam ei seditionem movet dum eliquatur in chylum, qui pristinae sortis non immemor repurgati sanguinis plurimum, excrementi minimum ingerit. Tum maximè nitent viscera tam luculento irrigata humore, efflorescunt partes adedò salutari succo recreatae, deprimitur bilis acrimonia, dulcescit falsus ichor qui benigni humentisque alimenti appulsu liquatur ne concresecat in nodos. Eluitur ferina colluvies sollicitatâ molliter alvo, depurantur viæ si scateant recrementis. Medetur biliosis fluxionibus & colliquationibus ad ventrem nutantibus; nec mirum si dysentericis affectibus non secus ac sedi atque utero ulceratis conferat. Mitigat ardores tonsillarum & columellæ. Thoracis pulmonumque morbis utile est; & ideo secedebant olim ad Tabias non tam ut cœli clementiâ fruerentur, quàm ut exsuccum & macie confectum corpus reficerent saluberrimo boum lacte: oblinat gratâ pinguedine membranas & musculos ne acri mordacique humorum decubitu lædantur, intolerabiles cicurat dolorum cruciatus, antevertit Arthritidem & Rheumatismum, horum affectuum pervicaciam nullo discrimine summâ-

que agrotantium jucunditate non superat modò, sed etiam singulare est
ἀλεξίχρον aduersus omnes quorum causa ἰχὲρ φαύλον καὶ μοχθηρόν.

V.

PERMAGNI interest opportunitatem, curationis animam solerter
pauuperis; sic purgatio in acutorum principio naturam turbat atque
avocat ab instituto, eandem & in declinatione levat. φλαῦρον καὶ ἀείρον πρὸς π.
Alimenta usu tempestivo bona abusu saepe sunt pessima, ipsæque Deorum
manus aliàs salutaress rapiuntur in perniciem. Οἷσι γάλα κοφὴ καὶ φύσιν, ἀλλοιοῖ
ἢ οὐχί. Quibus? Αἰτίον sincero corpori in quo nulla succorum impuritas &
cruditarum labes: βλάβερν, si sordibus scatet & recrementis: nec apponitur
idcirco cum vehementius defævit febris, nec quibus ὑποχόνδρια μετέπει-
θα βροβολεῖντα. Cave sis ab eò cum primùm furere Arthritidis & Rheuma-
tismi dolores, ne unà cum vitiosis humoribus corruptum eat. Tunc temporis
primas ἡγεμονικώτατον sibi habeat venæ sectio, ab eâ nec inauspicatò duces
primam salutis ideam. Tunde superiores inferioresque venas ex opposito, &
directo, quid-ni & ex ipso partis dolentis latere. Nec te deterreat multoties
detractus sanguis modò partitis vicibus & non unò ductu ἀχρὶ τῆς λειποθυμίας
habitâ semper ratione virium quæ consuli debent & explorari documentis
fidelibus. Præterea residem circa mesenterium & cava hepatis eliminabis fa-
burram blando mollioriquê cathartico cujus usus potior familiarior & fre-
quentior plerâque corporis vitia epicrasi quotidie mollit ac tutissimè sanat.
Apoge valentiorum purgantium feram gentem queis incassum liberare nite-
ris quem atrociùs vexas arthriticum. Vtramque numeris omnibus absolvet
implebitque paginam lac; ejus agnosce beneficium omnium quæ arthriticum
malè habent symptomatum remissione; sic enim ichoris biliosi franges acri-
moniam, præcordiorum iram temperabis, squallentium viscerum tolles illu-
viem acerrimam, salis reprimes aculeum, maligni feri κακότητες ligabis, neque
falles mox-rediturum dolorem sed tolles penitus, & natura prisca legi red-
dita mollem & jucundam vitam protelabit nullo dolore nec impediante nec
impendente.

Ergo Arthritidi & inveterato Rheumatismo curandis solo lacte vesci convenit.

DOMINI DOCTORES DISPUTAVR.

M. Nicolaus Robin.

M. Franciscus Sorand.

M. Iacobus le Menestrel, Præses.

M. Carolus Brisset.

M. Claudius Tardy.

M. Ioannes Forestier.

M. Michaël Dupont.

M. Petrus de Mersenne.

M. Andreu Guyet.

Proponebat Lutetiæ GVIDO CRESCENTIVS FAGON
Parisiinus, A. R. S. H. M. DC. LXIII.